285.

אם אכל משיחנו
ר עם היהודים
ים לוה:

Sive

de Quæstion

Utru

Agnum P

Salvator noster eo

dæis comederit: an

stantem passionem suo

DISSERTATIO

Quam

PRÆS

DN. JOHANN

Lingg. Sacrar. Pro

Dn. Præceptore ac H

servantiæ cultu max

Publicè de

GEORGIUS Seidel

d. A

JENÆ, TYPIS SAM

A.O.R. M

פתרון השאלה אם
פסח ביום אחד ע
או קודם

Sive

ſtione vexata,

Utrum

Paſchalem

r eodem die cum Ju-
t: an vero feſtum ob in-
em ſuo Paſchate anteverterit?

TIO ACADEMICA,

Quam

RÆSIDE

NNE Friſchmuth/

r. Profeſſore Publico,

ac Hoſpite ſuo æterno ob-
ltu maximè devenerando,
ublicè defendet

Seidel/GRÆCIÔ-VARISCUS.

d. Aprilis.

SAMUELIS KREBSII,
R. M DC LXXIV.

§. 1.

VExatissima & multis contendentium studiis agitata quæstio est, utrum Salvator noster eodem cum Judæis die Pascha comederit, an verò illud anticipaverit, adeoque seorsim ab iis, & diverso tempore festum celebraverit? Quæ quæstio haud subinde intra verborum conflictum se continuit, sed quandoque in eum fervorem erupit, ut etiam pœnam & ergastuli durioris angustias pepererit dissentientibus. Damno id suo expertus dicitur Hieronymus Vecchietus, de quo Janus Nicius Erythręus, Pinacothec. Virorum illustrium part. 1. pag. 196. hunc in modum loquitur: Fuit Hieronymus divinis & humanis literis doctus ac præsertim versatus in historiis, atq; in ea arte, quã profitentur ii, qui *Mathematici* vocantur, sed in omnibus fere rebus nimium sui juris sententiæq;. Edidit insignem librum in charta, ut ajunt, regia, magnis sumptibus Augustæ Vindelicorum impressum, sed censorum animadversione in multis ac maximis vitiis deprehensum, ac propterea Superiorum decreto cautum, ne in manus hominum perveniret. Etenim contra Sacrarum literarum fidem, contra Ecclesiæ universæ auctoritatem, contra sanctorum Patrum sententiam conabatur ostendere ex solis lunæque ratione, quam non benè, fortasse deceptus, inierat, *Christum Dominum pridie, quàm pro nobis mortem oppeteret, solenne illud Paschalis Cœna convivium una cum suis non celebrâsse*: & cùm posset temerè dicta vel corrigendo vel interpretando ex multis sese incommodis & ærumnis eximere, maluit severissimo Quæsitorum fidei causæ Judicio se committere, atq; ultrò in vincula conjicere, ubi multos annos exactâ jam ætate, in tenebris, in squalore, in sordibus jacuit, quàm vel minima quidem ex parte de sententia decedere.

§. 2. Sciscitanti, cur ob quæstionem philologicam vel historicam potius, quàm Theologicam & δογματικὴν in bonum illum Vecchietum, tantoperè sævitum sit à Romanis

inqui-

inquiſitoribus, reſpondemus, factum id eſſe propter conſequentias, quæ inde eliciuntur. Problema enim Philologicum naturâ mutatâ evaſit inter Græcos & Latinos quæſtio de fide, illis contendentibus Chriſtum ſuo paſchate Judæorum paſcha antevertiſſe, pane non infermentato ſed fermentato uſum. Unde quæri cœptum eſt, utrum ἄζυμος an ἔνζυμος panis in Cœna Dominica adhibendus ſit, quorum illud Latini, hoc Græci aſſeruerunt, ſuoque exemplo Chriſti factum exprimendum ſunt arbitrati.

§. 3. Operæ igitur pretium fuerit, diligentiùs ſcrutari, quo tandem tempore Dominus noſter Paſcha comederit? Ex cujus quæſtionis deciſione & illud manifeſtum erit, quô die idem paſſus fuerit. Scire igitur licet, per leges divinas Exod. XII. 2. Num. IX. 5. Lev. XXIII, 5. 6. non niſi decima quarta die menſis primi agnum fuiſſe mactandum, & quidem בין הערבים *inter duas veſperas.* Unde Rabbi Moſes de Kozzi, fol. 117. col. 1. de Paſchate ait: שחיטת הפסח היא ביום ארבעה עשר אחר חצות: *mactatio agni peragitur decima quarta die poſt meridiem.* Et R. Bechai com. in Pentateuch. fol. 205. col. 3. בערב כבוא השמש מועד שלשה זמנים הם בערב תשחטנו משש שעות ולמעלה וכבוא השמש תאכלנו ומועד צאתך תשרפנו: *Veſpera, ſole occidente, ſtatuto tēpore* (Deut. XVI, 6.) *tria tēpora notantur. Veſperâ mactabis poſt ſex horas aut plures. Sole jam occumbente, comedes, & tempore egreſſus tui* (ex Ægypto) *combures.* Neque abludit Joſephus, cum lib. VII, c. 17. de B. J. ſcribit, agnos mactatos eſſe ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, *ab hora nona usque ad undecimam,* ſive ut nos numeramus, ab hora tertia usque ad quintam veſpertinam. Prior veſpera Græcis dicitur δείλη πρωΐα, ἡ μεθ' ἄριστον ὥρα, *veſpera matura eſt tempus poſt prandium,* teſte Heſychio, ſed δείλη ὀψία ἡ περὶ δύσιν ἡλίου *ſera, quæ circa Solis occaſum.* Menſis ille primus poſtmodum vocatus eſt Niſan, de quo Abarbenel com. in c. XII. Exod. אנחנו נקראהו כשמות אשר העלו מאשור: *Nos eum Niſan appellamus ſecundum nomina, quæ ex Aſſyria allata ſunt.* Nomenclaturæ hujus originationem, quam nonnulli mi-

nùs rectè à נוס *fugere* deducere conati sunt, quod Judæi ex Ægypto fugerint, optimè Cl. Bochartus penetravit, dum mensem ניסן Neh. II, 1. Esther. III, 7. pro נִסָּן dictum esse ait, vocali longa defectum Dagesch fortis supplente, quòd *signa* vel *vexilla militaria* hoc mense primum educuntur. Hinc ad verba II. Sam. XI, 1. *& anno revoluto, quo reges egrediuntur.* R. Abarb. scribit: הוא זמן ראשית החום שימצאו התבואות והעשבים בשדה והפירות באילנות: *Tempus illud initium caloris notat, cum proventum & herbas in agro, fructus in arboribus reperiunt.* Nempe ille mensis intelligitur, quo Sol signum arietis ingreditur, & partim Martio, partim Aprili respondet. In Scripturis אביב dicitur Deut. XVI, 1. *mensis spicarum*, quod hordeum spicatum tunc esse in Palæstina solebat. Syrus ܝܪܚ ܢܝܣܢ *mensem florum* appellat, Arabs شهر الفريك *mensem granescentis segetis*. Græci μῆνα τῶν νέων sc. καρπῶν aut γεννημάτων. Eopse enim mense, postridie Paschatis falx in messem mittebatur.

§. 4. Tempus hoc divinitus præfinitum & ipsum Dominum nostrum observasse, cùm discipulis suis id negotii dedit, ut pascha pararent, ex Evangelistis haud obscurè patet, cumprimis Matthæo c. XXVI, 2. Marco c. XIV, 1. & Luca c. XXII, 7. Hic enim expressè ait: ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Ergò tunc secundum Legis præscriptum & tenorem Christus Pascha comedit, nempe die decima quinta mensis. Vespera enim, quà comedit Dominus Pascha cum sequenti die XV, ad quam pertinet, totum νυχθήμερον constituit, ejusque initium fuit. Fit tamen, ut etiam die XIV. Dominus comedisse dicatur, quia, ut ex Gellio Cl. Bochartus refert: *tempora duo cum inter se opposita sunt, atque ita cohærentia, ut alterius finis cum initio alterius misceatur, non refert, utrum per extremum prioris, an per initium sequentis locus ipse demonstretur.* Minimè verò apparet, unde Græci anticipationem probare velint, προλαβὼν, inquientes, ὁ Χριστὸς πρὸ μιᾶς ἡμέρας ἐποίησε τὸ πάσχα. Persuasum illi habent, Christum, utpote κύριον τοῦ νόμου, & majorem templo, Matth. XII, 6.

ideo

ideo decimo tertio die Pascha comedere voluisse, ut illo die, quo Judæi πάσχα comesturi essent, posset pati. Conf. Euthymium in c. XXVI. Matth. & Cyrillum lib. 12. in Joh. c. II.

§. 5. Sed eccui verisimile videatur, eum, qui quoad in terris egit, Legi satisfacere, ut homo, ubique studuit, & adversarios suos provocavit, an vel minimi peccati reum peragere possent, Joh. VIII, 46. & qui ita se gessit, ut jam vincto & damnando nullum crimen exprobrare, vel teste aliquo gravare eum possent; Marc. XIV, 55. die alia, quàm oportebat, agnum comedisse? Sanè si tunc hostibus Christi innotuisset tale quid, vel ob solum tempus legitimum neglectum & non observatum violatæ Legis reum Dominum peregissent, & ita habere crimen sibi visi essent, ob quod mortis pœna eum afficerent. Quod argumentum pro vulgata opinione non pœnitendum ipsi Casaubono visum est.

§. 6. Neque putandum est, clam Judæis hoc à Christo fieri potuisse, cum agnus non potuerit comedi, nisi sanguine ejus ad altare à Sacerdotibus sparso & adipe combusto. Quid, quod & mactandus erat totius populi consensu in templo. Ut enim Maimonides cap. 1. Hilk. Pesach scribit: אין שוחטין את הפסח אלא בעזרה כשאר הקדשים: *non mactant Pascha nisi in atrio more reliquorum sacrificiorum*. Quia nempe aliter Deus fieri vetuerat, Deut. XVI, 6. *non*, inquiens, *poteris Pascha mactare in portis tuis, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus*. h. e. ut R. Abarbenel rectè explicat fol. 362. com. in Legem: זבח הפסח כפי הדין והרצון האלהי וגזרתו העליונה לא תוכל לאכול אותו בשעריך כי אם אל מקום אשר יבחר ה' אלהיך לשכן שמו שם תזבח את הפסח בערב ר"ל שבמקום שבחר ה' שתהיה העבודה הזאת ולא במקום אחר: *Sacrificium Paschatis secundum judicium, voluntatem divinam & decretum altissimum non poteris edere in portis tuis, sed loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut ibi nomen ejus habitet, ibi mactabis Pascha in vesperâ. q. d. ibi vult hunc cultum præstari non alibi.* Hinc summum nefas fuit apud populum, Pascha non justo tempore & loco mactare.

§. 6. Tra-

§. 7. Tradunt quidem Doctores Ebræi, & inter illos R. Moses Maimonides, Festa & Neomenias, quamdiu illorum stetit Respublica, non aliter, quàm juxta φάσιν Lunæ constitutas fuisse. Ita enim cap. V, sect. 2. Hilk. חדוש החדש sive de consecratione Novilunii scribit: דבר זה הלכה למשה מסיני הוא שבזמן שיש סנהדרין קובעין על פי הראייה ובזמן שאין שם סנהדרין קובעין על פי החשבון הזה שאנו מחשבים בו היום ואין נזקקים לראייה אלא פעמים שהיה יום שקובעין בו מחשבון זה הוא יום הראייה או קודם לו ביום או אחריו ביום: *Hæc constitutio è monte Sinai Mosi tradita est, quòd quam diu duraret Synedrium, secundum lunæ Φάσιν neomeniæ constituerentur. At ex quò illud cessavit, constituunt secundum hunc computum, quo utimur, ad Φάσιν non obligati. Sed quisque dies, quam per hanc computationem constituimus, est dies τῆς Φάσεως; quandoque etiam uno die præcedit, aut subsequitur.* Atque hinc alii ex Christianis arbitrantur, cum Christi tempore per Φάσιν festa constitui sint solita, & verò iis, qui procul aberant, innotescere tàm cito haud posset, quô die præcisè festum celebrari debeat, factum esse, ut singula festa per duos dies celebrarent, quod cum hodierna etiam Judæorum praxi convenire certum est, ut enim Buxtorf. in Synagoga Jud. loquitur: *Festum Paschatis per duos dies celebrant, ut eò certiores sint, & à vero festi die omninò non aberrent.* Sed ad hæc respondetur, ne Judæos quidem omnes id admittere, quod de perpetua constitutione festorum secundum Φάσιν Maimonides tradidit. Dicam sanè ei scribit R. Abarbenel, com. in Exod. XII. his verbis: טעות הוא ביד האנשים האלה בכל חכמתם שאמרו שבארץ ישראל לא היו מקדשין אלא על פי הראייה כי הנה תמצא שאמר דוד ליהונתן הנה מחר חדש ואני אשב על המלך ומהיכן דוד היה יודע שמחר חדש לולי שעל פי החשבון היו קובעין ואולי לא תראה הלבנה ולא יקבעו מחר חדש: *Illi Viri quantalibet præditi sint sapientia, hallucinantur, qui asserunt in terra Israëlis Neomeniam nonnisi secundum Φάσιν esse consecratam. Ecce*

enim

enim invenies, quod David dixerit ad Jonathanem (I.Sam.XX,5.) *cras erit novilunium, & ego sessurus sum cum Rege. Unde igitur Davidi constabat, tunc, altero die fore neomeniam, nisi ex computo fixerint illam? Forsan enim luna non apparebat isto die, idcirco juxta ejus Φάσιν non erant neomeniam constituturi.* Quin si vel maxime id certum esset, ob longè remotos Judæos gemino die festum celebratum fuisse, Hierosolymis tamen alios uno, alios altero die agnum mactasse, & Pascha celebrasse, nullo modo fit verisimile, cum ibi, ubi Synedrium erat, de festo die non potuerit esse dissidium ullum.

§. 8. Sunt verò magni nominis viri, qui id haud inviti largiuntur, Dominum ad præscriptum legis Pascha comedisse, & hinc neque patrem familiâs, ad quem Dominus suos discipulos ablegaverat, miratum esse, quod illo die Christus Pascha celebraturus esset: eo tamen anno, quod Pascha in feriam sextam incideret, Synedrium sive *domum Judicii* pro sua, quam habebat, auctoritate, aliter sancivisse, ut Pascha transferretur in diem Sabbati, ne duplex concurreret festum, cum geminis continuis diebus feriari aliàs cogerentur, quod משום ירקיא ומתיא *propter olera* in tàm calida regione & *propter mortuos* oppidò molesta foret gravis & difficilis per duos continuos dies operum servilium abstinentia. Provocant etiam ad Canonem Judaicum לעולם לא בד״ו פסח: *nunquam Pascha incidit in secundam, quartam & sextam feriam,* quæ literis בד״ו significantur.

§. 9. Quod verò canonem illum attinet, ex quo translatio festorum constare possit, respondemus, recentiorem illum esse, quàm ut Christi ætate tale quid receptum fuisse, inde probetur. Quin fatentibus ipsis Judæis in Talmud, Masſechet Succa, cap. 5. יום טוב סמוך לשבת בין לפניה בין לאחריה: *festum Sabbato conjunctum sive antecedat, sive subsequatur.* Et ipse AbenEsra com. in Exod. XXIII, 4. ingenuè largitur, במשנה גם בתלמוד ראייה שהיה פסח בבד״ו: *In Mischna & Talmud, exempla habemus, quibus probari queat, Pascha incidisse in feriam 2. 4. & 6.*

§. 10. Cùm igitur Judæi etiam aliquot post Christum

na-

natum seculis nondum Neomenias suas loco suo moverint, ne Paschale festum cum Sabbato continuum esset; nulla dum ratio apparet, quamobrem Christi ætate talem morem jam tùm in usu fuisse credamus, cum nullum consuetudinis illius in historia Evangelica vestigium occurrat. Et cùm Isaacus Casaubonus apertè fateatur, Exercit. XV, num. 25. *Negari non posse, Matthæi, Marci & Lucæ narrationes id videri significare, Dominum nostrum Pascha eâdem die & hora celebrasse, quibus & cœteri Judæi omnes idem faciebant*, videamus oportet, quomodo ultimus Evangelistarum, Johannes Paschatis & passionis historiam referat, quam adversa pars tanto nisu pro contrariæ sententiæ confirmatione urget. Ubi enim scriptores illius locutiones commodè explicatæ fuerint, causæ nihil comminisci poterimus, quamobrem non præ nova eaque haud ita probabili sententia veterem illam retineamus & probemus.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Joh. Gerh. Vossii sententia nova de Christi & Judæorum Paschate diverso tempore celebrato. Ad Argumentum primum ex Joh. XIII, 2. responsio gemina affertur. II. Argumentum ex Joh. XVIII, 28. productum. Responsio ad illud ex Deut. XVI, 2. τὸ πάσχα non de agno duntaxat, sed & victimis aliis Paschalibus intelligendum esse, Scaligero & Ludovico Capello improbata. Casauboni, R. Salomonis, Bechai, Gerundensis & Abarbenelis interpretamenta, Gerundensis Scripturæ locutionem nequicquam sollicitat. Locus Deut. XVI, 2. explicatur & Gerundensis objectio refellitur. Latini, Syri & Arabis consensus in explicandis vocibus צאן ובקר. *Ratio pro notione Paschatis victimis præter agnum competente ex v. 3. allata. Particulæ* על *significatio ab Abarbenele illustrata. Ludovici Capelli violenta ellipsis rejecta. Ejusdem argumentum ex Exod. XII, 11. solutum. Scaligero Lichtfooti & Bocharti testimonia opposita. Ad III. Argumentum ex verbis Joh. XIX, 34.* ἦν παρασκευὴ τοῦ πάσχα *de-*

prom-

promtum. Toleti, Baronii & Cloppenburgii responsio Vossio improbata. Alia responsio Bocharti ex antiquitate Ebraica. Rabboth & Bechai laudatus. Parasceven diem Veneris aliquando notare Casaubonus largitur. Arabibus idem significare probatur. παρασκευὴ *cui diei tribui soleat. M. A. de Dominus laudatus. IV. argumentum ex Johan. XIX, 31. locutio* ἡμέρα μεγάλη *ex Job. VII, 37. Vers. LXX. & Esai. I, 13. illustrata. V. argumento ex Matth. XXVI, 5. satisfactum. Maimonides laudatus. VI. argumentum à tempore judicandi Synedrio recepto. Maimonides laudatus. Casauboni* παρόραμα *notatum in versione Maimonidis. Judæorum in Christo judicando insignita iniquitas. Propriorum decretorum conculcatio à Judæis facta exemplis notata. Ad VII. argumentum ex Pentecostes tempore depromtum, & locus Act. II, 1. ex Lev. XII, 6. & Vers. Græca illustratur.*

§. 1.

Licet consuetudinis illius, quâ Judæi diem Paschatis, si in sextam feriam incideret, in septimam feriam vel diem Sabbati trajecerint, apud antiquos, nec volam extare, nec vestigium, ipse quoque Joh. Gerhardus Vossius, Dissert. de Pass. Domin. suo calculo confirmet, & neget, rationem feriam transferendi vel ante Christum vel post Christum obtinuisse: quia tamen illi sententiæ, quâ eodem die cum Christo Judæos agnum Paschalem comedisse docent, varia Evangelistæ Johannis loca adversari persuasum habet, inde ille itidem à communi recedit sententia, & peculiarem de diverso illo Christi & Judæorum Paschate opinionem fovet, quam his verbis exhibet: *Legimus apud eos* (antiquos) *quomodo Judæi ante receptos Cæsaris fastos observarint veros Lunæ motus & Neomenias attenderint* ἀπὸ τῆς φάσεως, *sive à visione ejus prima: fastis verò iis ex Augusti mandato receptis, numerarint secundum medios lunæ motus & sideris utriusque exitus. Quippe Julius Cæsar æquinoctium, quod ante à Judæis III. Aprilis die statuebatur, fixerat in XXV. die Martii. Quoties igitur decima quarta luna primi mensis præverteret æquinoctium, Paschalem diem non agebant festum: Sed expectabant, donec foret æquinoctium: ac post illud demum, h.e. simul*

mul ac Sol signum arietis ingredi cœpisset, Pascha comedebant. Christus proinde ex Lege Mosaica observavit vesperam diei decimæ quartæ Nisan: sed Judæi proceres, quia tum nondum foret æquinoctium, distulere in diem proximum: ut ita post æquinoctium festum agitarent diem Paschatis secundum consuetudinem cœptam, ex quo annum more Romano computarent. Atque hinc, mirè elucere providentiam divinam, docet, quod, cum alio die Christus, alio proceres Judæi Pascha celebrarent; ita factum sit, ut quo die typicus agnus erat mactandus ex Lege Mosaica, verus agnus oblatus fuerit à Judæis, atque ita veritas typo optimè responderet.

§. 2. Cum vero alii docti viri, inter quos Cl. Bochartus nomen quoque suum profitetur, vulgarem & antiquam sententiam deserendi videant causam nullam, & ad loca è Johanne produci solita responderi posse, autument, visum est ordine illa expendere, & quid in recessu habeant, videre.

§. 3. Primus locus, quem in contrariam sententiam adducunt, habetur Joh. XIII. 2. ubi πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, *ante festum paschatis* cœnam sacram & pedum lotionem fuisse Evangelista refert, unde aliud colligi nequeat, quàm postridiè demum festum celebratum fuisse. Ad hanc verò rationem duobus modis respondent. Non enim desunt, qui negent, illam cœnam Paschalem fuisse, & malint asserere, idem ibi convivium referri, quod Bethaniæ institutum fuit, & hoc ex Luc. XXIII, 3. & Joh. XIII, 27. colligunt. Hanc sententiã propugnat Joh. Lichtfootus, Horis Ebraicis ad Matth. XXVI, 3. Qui verò Paschalem illam fuisse largiuntur, ne sic quidem Paschatis diversitatem quandam colligi admittunt, cum πρὸ τῆς ἑορτῆς, positum sit pro ἐν τοῖς προεορτίοις, quod ita festum præcedit, ut tamen sit pars festi, veluti πρόλογος est *pars orationis*, πρόδομος, *pars domus*, προγλωσσὶς, *pars linguæ*, προάστειον, *pars urbis*, προτείχισμα, *pars muri*. Atque in ipso festi exordio quæ contigerunt, haud incongruè πρὸ τῆς ἑορτῆς evenisse dicentur, maximè cum, Abarbenele monente, תחלת היום הוא מן הערב שלפניו: *initium diei à vespera antecedentis diei deducatur*, fol. 151. col. 2. com. in Exodum. Conf. Lev. XXIII, v. 5.

§. 4. Ma-

§. 4. Majori veritatis specie objicitur locus Joh. XVIII, 28. ubi Judæi, Christo ex Caiphæ domo deducto, prætorium nolunt ingredi, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ᾽ ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. Ex quibus verbis sequi autumant, eos adhuc comesturos fuisse id temporis Pascha, cùm tamen Dominus, antequam captivus duceretur, id edisset cum discipulis. Atque huic argumento tantum tribuit Isaacus Casaubonus, Exercit. XVI. ad Annales Baron. num. 24. ut putet, *si res æquis animis æstimetur, locum hunc vel solum sufficere debere confutandæ vulgatæ opinioni nempe Judæos & Salvatorem eodem die comedisse Pascha.* Responderi verò solet à doctis viris, τὸ *Pascha* non modo ipsum agnum Paschalem significare ex usu Scripturæ, sed etiam victimas alias, quibus per reliquos festi dies non sine lætitia vesci licuit illis, qui se non contaminâssent re aliqua in lege prohibita. Unde לפסח *ad Pascha* non agnos modò, sed boves & pecudes dedisse leguntur, II. Paralip. XXXI, 7.8.9. Cumprimis verò locus Deut. XVI, 2. *& mactabis* פסח *, Domino Deo tuo,* צאן ובקר *pecudes & boves,* id significare videtur. Sed maximoperè eos, qui ex hoc loco argumentum solvere conantur, Josephus Scaliger exagitat. Prolegom. in Lib. de E. T. fol. 27. *Quis,* inquiens, *tam obstinatos adversus veritatem credidisset? Illam objectionem quàm argute eludunt! Ajunt,* φάγειν τὸ πάσχα *hic non esse agnum Paschalem comedere, sed alia sacrificia Paschalia. Argutè, doctè, eleganter, nihil supra. quasi in parasceve comedere, aliud sit quàm agnum comedere. Imò nos negamus* θύειν καὶ φάγειν πάσχα *aliud esse, quam agnum Paschalem immolare aut manducare, Exod. XII, 21. Neque ullus paulò doctior illud sine risu audire potest.* Consimiliter Ludovicus Capellus, pag. 70. Epicrisis, ad amicam se inter & Joh. Cloppenburgium Epistolicam collationem, negat, *victimas secundæ diei unquam Pascha dictas esse in Scripturis; quas ne ipsi quidem Judæi sic appellarint, sed* חגיגה.

§. 5. Equidem reliquas Paschales victimas Ebræis חגיגה vocari, negari nequit, annon verò & פסח quandoque appellentur, accurata consideratione digna quæstio est. Isaacus Casaubonus, qui itidem pro negativa sententia contra

utrumque Cardinalem, Franciscum Toletum & Cæsarem Baronium acriter disputat, inter alia ad Salomonis Scholia provocat, quæ cum R. Abarbenel unà cum aliorum recutitorum interpretamentis com. ad loc. citatum recenseat, eum hac vice audire lubet: כבר הודעתיך דעת אנקלוס וכבר נמשך אחריו רשי ורבי אברהם בפירוש הכתוב ובזה שפירשו וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן כי ממנו יהיה הפסח ועוד בקר תזבח לשלמים: *Jamdum tibi sententiam Onkelosii manifestavi, quam R. Salomo & R. AbenEsra sequuntur, quorum expositio hæc est: & mactabis Domino Deo tuo pecus. Ex hoc enim Pascha constabit, & insuper boves mactabis pro pacificis oblationibus.* R. quoque Bechai, com. in l. cit. minimè abludit, dum verborum hunc sensum esse contendit: צאן לחיוב הפסח ובקר לשלמי חגיגה כדי שיהא הפסח נאכל על השבע: *Pecudes ad Paschatis debitum, boves ad pacifica festi, ut Pascha comedatur ad saturitatem.*

§. 6. Audiendus etiam est R. Abarbenel, qui fol. 361. col. 1. l. cit. pergit: ויותר נכון הוא דעת הרב משה בר נחמן שאמר וזבחת פסח להשם אלהיך ולא האריך בו עוד כי כבר התבאר חוקת הפסח שמה אבל הזהירו שמלבד הפסח יזבח צאן ובקר לחגיגה כי היה חיוב בעלותם לראות את פני יהוה שירבו שמחה כפי מסת נדבת ידם שלמי חגיגה שהיו אוכלים עם בתיהם והלוי והגר. והפסח היו אוכלים אותו על השבע ולכן כתב הרמבן וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר כטעם ראובן שמעון לוי ר״ל שיחסר וי״ו הרבוי ויהיה כאלו אמר וצאן ובקר: *Longè rectior R. Nachmanidis est sententia, cùm ait; verbis & mactabis Pascha Domino Deo tuo,* (Deut. XVI.) *non prolixè agere de illo, quod jam antè de Paschatis statuto egerit ibi:* (Exod. XII.) *sed monere, ut præter Pascha mactent etiam pecudes & boves ad celebrandum festum. Cum enim ascendebant ad videndum faciem Domini Hierosolymis, liberalius se gerere tenebantur de sufficientia voluntariæ oblationis suæ.* (Deut. XVI, 10.) *nempe sacrificia festi, quæ comedebant cum suis dome-*

domesticis, Levitis & peregrinis. Et illud Pascha (הפסח אותו) *comedebant ad saturitatem usque. Atque hinc scripsit Ramban; cum dicitur & mactabis Pesach Domino Deo tuo pecudes & boves, eandem rationem verborum esse ac cum dicitur; Ruben, Simeon, Levi, q. d. deficit vav multitudinis, & idem est, ac si dixisset, & pecus & boves.*

§. 7. Ut ex adductis Rabbinorum interpretamentis liquet, eò illi inclinant, quò & Casaubonus & Scaliger collineant, & בקר ad Paschales victimas, quæ reliquis diebus comedi solebant, referunt. Est verò omninò in Gerundensis expositione, quod improbemus. Minimè enim quadrat huc exemplum ellipseos, quod attulit, cum hoc loco conjunctio copulativa habeatur, ut ellipsi τῦ vav nullus esse queat locus. Quod verò ait Nachmanides, אנקלוס עשה צאן ובקר דבק עם הפסח ולא יתקשר הוי״ו יפה במלת ובקר: *Onkelos τὸ* צאן *&* בקר *conjungit cum* פסח *& minus concinnè conjunctio copulativa dictioni* בקר *jungitur*, id itidem frivolum est. Nempe eò, quòd recutitus τὸ Pascha etiam generaliori significatu de aliis victimis accipi ignorat, vel capere nequit, in ipsius scripturæ loquendi ratione etiam aliquid desiderat, eámque ad censuram vocat, quo ipso tamen haud obscurè prodit, textum suæ sententiæ haud favere. Sed licet Gerundensis cum aliis infitias eat, victimas Paschales etiam πάσχα nomine venire, ex textu tamen Deut. XVI, 2. id ostendere possumus.

§. 8. Scire igitur licet, quod Cl. Bochartus ad l. cit. quoque observavit, non dixisse Mosen: *mactabis Domino Deo tuo Pascha, oves & boves.* neque, *mactabis Pascha, oves & boves Domino Deo tuo; sed mactabis Pascha Domino Deo tuo, oves & boves.* Quæ verborum series id omnino indicare videtur, τὸ פסח hoc loco instar generis se habere ad subsequentes voces צאן & בקר, quæ quasi per ἐπεξήγησιν subjiciuntur, perinde ac 1. Paralip. XXIX, 21. *obtulerunt holocausta Domino, juvencos mille, arietes mille, agnos mille.* Et Num. XXVII, 11. *offeretis holocaustum Domino juvencos fœtus boum duos, arietem unum, agnos.*

In

In quo gemino exemplo uti ſubſequentia verba declarant prius nomen, & oſtendunt, quænam illa ſint, quæ holocauſti nomine veniant: ita & Deut. XVI, 2. id fieri pateſcit, ubi ſequentia verba צאן & בקר tanquam ſpecies recenſentur, quæ in terra Canaan habitaturis Iſraelitis פסח conſtituere debeant. Quod etiam agnoviſſe videtur R. Moſes Ben Omram, quem Cl. Dn. Varenius citat com. in Leviticum p. 545.

§. 9. Itaque ſi Scripturæ receptam loquendi rationem intueamur, dubitare nos minimè ſinent alia exempla complura de interpretationis allatæ veritate. Solet enim & illa aliàs vocem generaliorem præmittere, eique tanquam generi ſpecies quaſi ſuas ſubjicere. Sic Exod. XX, 24. *immolabilis pacifica ſacrificia tua, oves & boves.* Et 2. Paralip. VII, 5. *mactavit Salomon hoſtias, boum viginti millia & ovium centum viginti millia.* Conſimiliter Geneſ. XLIII, 11. ubi Joſepho filii Jacobi מנחה afferre jubentur, ſpecies deinde ſeorſim recenſentur, quæ ad מנחה pertineant. adde 1. Reg. X, 25. Neh. XIII, 5. Quæ exempla ſi cum Deut. XVI, 2. conferantur, pateſcet, eandem hujus loci rationem eſſe ac illorum, & quemadmodum enim ibi generis quaſi loco ponuntur, voces *holocauſta, ſacrificia, hoſtiæ, munera,* & deinde ſeorſim exprimitur, ecquænam illa fuerint quæ *holocauſti, ſacrificiorum, hoſtiæ & muncrum* nomine venerint; ita & hoc loco voci פסח, ſtatim adduntur voces צאן ובקר *oves & boves,* ex quibus videlicet Paſcha conſtare debuerit. Nempi præter agnum Paſchalem oves & boves mactare jubentur. Ut Maimonides loquitur: מקרנוין שלמים ביום ארבעה עשר מן הבקר או מן הצאן גדולים או קטנים זכרים או נקבות ככל זבחי השלמים וזו היא נקרא חגיגת י״ד ועל זה נאמר בתורה וזבחת פסח ליהוה אלהיך צאן ובקר: *offerunt cum agno pacifica die XIV. de bobus aut de ovibus, majuſculos ſive parvos, maſculos ſive fæmellas, ſecundum omnia pacificorum ſacrificia, atque*

hæc

hæc oblatio vocatur Chagiga XIV diei, & de hac victima sermo est in lege (Deut. XVI, 2. *& macta Domino Deo tuo Pascha oves & boves.* Atque hinc patescit, צאן & בקר omninò ad פסח pertinere adeoque & hoc nomine in sacris insigniri Sacrificia Paschalibus feriis offerri solita.

§. 10. Objicit hîc Gerundensis: לא אמר זבחת פסח ליהוה אלהיך מן הצאן ומן הבקר כאשר יאמר כל מקום מן הבקר ומן הצאן תקריבו את קרבנכם ואם מן הצאן עולתו קרבנו מן הבקר הוא מקריב: *Non dixit: & mactabis Pascha Domino DEO tuo de pecude & de bove, quemadmodum aliàs ubique loqui solet,* (Lev. I, 2.) *de bove & de pecore offeretis sacrificia vestra. Et si ex pecude holocaustum oblatio ejus.* (Lev. I, 10.) *De bove ille offert* (Lev. III, 1.) Quid verò mirum est, hoc loco Deut. XVI, 2. aliter Legislatorem locutum esse, quàm alibi, cùm non de unius viri sed totius populi solenni sacrificio, quod plurimos agnos bovesque requirebat, sermo sit. Quasi verò Scriptura de una eademque re semper uno eodemque modo verba facere putanda sit. Sanè nihil discriminis intercedere inter illas locutiones, & Latinus & Syrus & Arabs interpres agnoverunt. Ille enim vertit Ebræa verba: *immolabis Pascha Domino DEO tuo de ovibus & bobus.* Iste ܡܢ ܥܢܐ ܘܡܢ ܬܘܪܐ *de ovibus & bobus.* Hic من الغنم ومعه من البقر *ex ovibus & cum eis ex bobus.* Quin sic demum, ut R. Abarbenelem supra loqui vidimus, הפסח אותו אוכלים על השבע *Pascha illud comederunt ad saturitatem,* ut victimas illas Paschales πάσχα vocari, haud obscurè pateat.

§. 11. Manifestum idem est ex vers. 3. Deut. XVI, ubi hæc verba leguntur: שבעה ימים תאכל עליו מצות לחם: *Septem diebus comedes cum eo* (Paschate) *azymos panes.* Quod enim cum infermentato pane comedendum dicitur per septiduũ, illud *πάσχα* fuit vocatum. Atqui victimæ de bobus cum infermentato pane comedendæ erant per septiduum,

E. victi-

E. victimæ *πάσχα* vocatæ ſunt. Major patet ex textu, ubi τὸ עליו *comitatum* ſignificare & contextus docet, & locus alius Exodi XII, 8. 9. de agno Paſchali agens comprobat. Ad quem R. Abarb. fol. 150. col. 1. ſcribit: מלת על כמו עם כמו ויבואו האנשים על הנשים: *Dictio* על *ſignificat idem ac* עם *cum, quemadmodū* (Ex XXXV, 22.) *& venerunt viri* על *cum mulieribus*. Quia igitur agnus nocte prima media azymorum totus vel comedendus, vel, ne quid ſupereſſet, ante auroram comburendus erat, neceſſario ſequitur עליו ad victimas reliquis diebus comedendas referri, adeoque non agnum ſolum, ſed victimas ex bobus nomine Paſchatis venire.

§. 12. Ludovicus Capellus, cum ex textu idem perſpiceret, quò minùs τὸ *πάσχα* de victimis Paſchalibus uſurpari concederet, eo delabitur, ut ellipticam locutionem hìc occurrere, & dictionem ביום *in die*, puta Paſchatis, ſubintelligendam eſſe contendat; ut non tam *agnus & ſacrificia Paſchalia* alia, quàm *feſtum ipſum* Paſchatis voce פסח notetur, quo Paſcha mactandum ſit & ſacrificium, quod חגיגה vocari ſolet. Sed hæc gloſſa violentior eſt, quàm ut locum obtinere poſſit. Eccui enim Capellus perſuaſerit, ellipſin vocis ביום hoc loco eſſe, cum ejusmodi figuræ tum demum locus relinquatur, cum aliter textum commodè explicare nequeas. At hìc, ut textum ita exponamus, neque ulla urget neceſſitas, neque quisquam hactenus vel Ebræorum vel Chriſtianorum monuit Interpretum.

§ 13. Neque, quod idem Capellus objicit, alicujus momenti eſt, quod de ſolo agno Exod. XII, 11. dicatur, הוא הפסח ליהוה, Nihil aliud enim inde ſequitur, quàm agnum præcipuum Paſcha eſſe, propter quod etiam alia ſacrificia hoc nomine veniant. Quod etiam reſpondendum eſt ad Gerundenſis objectionem, אין כל הצאן כשר לפסחים: *non quodlibet pecus aptum eſt ad Paſcha*. Si de præcipuo illo ſermo ſit, verum id eſt: ut enim ex Exod. XII. conſtat, debuit

buit agnus esse *anniculus, masculus*, isque *integer & nullo vitio laborans*: quæ cuncta simul in allis Paschalibus sacrificiis haud erant necessaria, ubi juxtà oves & boves requirebantur. Nollem igitur J. Scaligero verba excidisse: *nullus paulo doctior illud sine risu audire potest: Sacrificia Paschalia πάσχα vocari*. Sanè doctissimo Anglo, Joh. Lichtfooto, quo in Ebraicis & Talmudicis magis versatum hoc seculo vix ullum reperias, Horis Ebraicis ad Matth. XXVI, 6. minimè insolens hæc significatio visa est, *aliquando*, inquienti, *sacrificia diei sequentis voce Pascha notantur*. Quod item summus Vir Samuel Bochartus, operis præclari Hierozoici l.II.c.50. asseverat. ut ita voci πάσχα notionem incognitam affingi frustrà docti viri conquerantur.

§.14. Sequitur III. argum., quod palmariũ imò ineluctabile à nonnullis appellari solet: Fundatur illud in verbis Joh. XIX, 34. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα. *Erat enim parasceve Paschatis*. Ubi dies, quô Christus crucifixus est, vocatur parasceve τοῦ πάσχα. Si igitur ille parasceve fuit festi Paschatis, nondum, *inquiunt*, ipsum festum appetierat, nondum Judæi Pascha comedisse poterant, quod tamen à Christo & discipulis jamtum factum erat. Hunc nodum ut solvant, Franciscus Toletus, Cardinalis, & Cæsar Baronius, itidem Cardinalis, in Annalibus, Parasceven Sabbati fuisse perhibent, quæ tamen Evangelistæ Johanni dicatur παρασκευὴ τοῦ πάσχα, quia acciderit eo anno, ut idem dies esset & Sabbati parasceve & dies ipse Paschatis. Sed licet responsionem hanc *non ineptam* Johannes Cloppenburgius, l. cit. appellet, Johanni Gerardo Vossio tamen diss. de Passione Dominica p.16.n.XII. haud ita probatur, quin Johannis Evangelistæ verba à gemino illo Cardinali & qui hos sequitur, Jesuita, Fr. Riebera, *mirè torqueri* ille asseverat.

§.15. Hinc alio modo difficultati occurrendum ratus Samuel Bochartus l. cit. παρασκευὴν hîc nihil aliud notare ait, quàm diem *Veneris*, quæ Ebræis ערב vel ערובתא appellari

pellari solet. Sanè in libro antiquissimo, Bereschit Rabba, Parascha XI, p. 8. col. 3. edit. Venetæ, dies hebdomadis hunc in modum numerantur: חד בשבתא תרי תלתא ארבעתא חמשתא ערובתא שבתא: *Prima dies septimanæ, secunda, tertia, quarta, quinta, parasceve, sabbatum.* Atque ita verum esse apparet, quod R. Bechai, com. in Legem, fol. 74. col. 3. scribit: אין לימות השבוע שמות מיוחדים כמנהג האומות שקורין לכל יום בשם ידוע אבל אנחנו אין לנו בכל אחד מהם שם מיוחד ואנו מונין אחד בשבת שנית בשבת וכן כלם: *Non propriis nominibus gaudent dies septimanæ, uti apud gentes, quæ singulos dies suis propriis vocant nominibus. Nos verò numeramus, dies primus septimanæ, secundus septimanæ & ita in reliquis omnibus.* Sed cùm ad sextam feriam ventum est, quâ etiam ad instans sabbatum se præparare solent, diem illum parasceven, non minùs usitato more, quàm antiquô, vocarunt. Quod ipse Casaubonus, Exercitat. XVI. num. 15. p. 417. ingenuè confitetur, *Parasceves*, inquiens, *appellatione tota dies Veneris aliquando intelligitur.* Nec heri demum vel nudius tertius hæc significatio locum obtinuit, cum apud Arabes quoque eosque antiquissimos, qui tamen Sabbatum nunquam observarunt, *dies Veneris* ita sit appellatus. Illis enim العروبة *parasceven* notat, veluti testatur Giuhari, Lexicographus Arabs nominatissimus, ex quo Cl. Golius refert, *Veteris Arabismi* hanc vocem esse, cùm recentiores Arabes post Mohammedis tempora illum diem يوم الجمعة *diem algiumæ* seu congregationis appellent, veluti Cl. Bochartus monet.

§. 16. Cum igitur antiquissimis tàm Ebræis, quàm Arabibus *dies Veneris* parasceve dicta fuerit, planè nihil obstare videtur, quò minùs & hoc τὸ παρασκευὴ de die Veneris vel sexta feria accipiatur. Cui dum πάσχα adjungitur, æquè id usitatum videri queat, ac cùm nobis *Dominica Paschæ, Dominica Pentecostes* dicitur, quæ cum utroque festo concurrit.

Neque

Neque est, cur in voce παρασκευὴ aliam significationem quis quærat, vel *præparationem* quandam ad Pascha celebrandum notari autumet, cùm hac notione non soleat occurrere, nisi cum ad Sabbatum refertur, ut ex Marc. XV, 42. Luc. XXIII, 54. videre est. Nempe Parasceve in Scripturis Sabbato tribuitur, quod hoc die nihil pinsere vel coquere, quin ne ignem quidem accendere liceat. Exod. XVI, 5. 23. c. XXXV, 3. atque ita pridie, ne quies Sabbati turbaretur, omnia præpaparanda erant, quale quid in festis nihil contigit. Paschatis enim festo & coquere, & iter, quantumvis longinquum, facere licuit, veluti ex Exod. XII, 16. Deut. XVI, 7. apparet. Unde festo parasceven in Scripturis tribui, hactenus minimè compertum est, ut etiam ideò Marcus Ant. de Dominis lib. V. de Rep. Eccles. c. 6. scripserit: *nullum festum propriè habet parasceven, nisi Sabbatum*.

§. 17. Quartum argumentum ex Joh. XIX, 31. depromunt, ubi Judæi Pilatum rogâsse leguntur, *ne corpora in cruce manerent*, ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου. Atque ita ἡμέραν μεγάλην vocari contendunt ob gemini festi, Sabbati & Paschatis concursum. Sed fugit eos ratio, cum hanc nomenclatura aliis de causis imponi diebus in aprico sit. Nempe ut ex Joh. VII, 37. patet, ultima dies Scenopegiæ hoc nomine insignitur, quia in eo est מקרא הקדש *convocatio sanctitatis*. Quod assertum ne in dubium vocetur, vetat locus Esai. I, 13. ubi LXX. verba קרא מקרא reddiderunt per ἡμέραν μεγάλην. Unde manifestum est *magnam diem* vocari illam, quâ cœtus sacrorum causa vocatur, non verò ob gemini festi concursum.

§. 18. Quintò, qui negant Dominum nostrum die Paschatis crucifixum esse, illud urgent, quod ipsi Judæi de industria cavere voluerint, ne festo morte afficeretur, ob seditionis metum à populo movendæ, Matth. XXVI, 5. Sed ad hoc respondetur, licet inter ipsos sic initiò convenerit, post-

modum tamen Juda proditione sua Christum interficiendi occasionem præbente, ferina rabie abrepti non cessarunt, donec illum ipso festo è medio tollerent, cùm annotante Grotio, sontium insigniores ἐν αὐταῖς ἑορταῖς plecti soliti fuerint. Quibus gemella tradit R. Moses Maimonides, Hilkot ממרים cap. 4. עד הרגל משמרין וחונקין ברגל שנאמר וכל ישראל ישמעו ויראו: *Usque ad festum custodiunt, & ipso festo strangulant, quia dictum est* (Deut. XVII, 13.) *& omnis Israël audiet & timebit.*

§. 19. Licet verò tribus ita festis, Paschatis, Hebdomadum & Scenopegiæ, ubi magnus hominum confluxus fuit, à sontibus supplicium sumtum fuisse, *probabile sit*, cumprimis tamen Paschatis festo id fieri solitum esse, dubitandum non est. Sequioribus temporibus mos ille inolevit, ut aliquem reum dimitterent κατὰ τὴν ἑορτὴν, h. e. die festo, nempe Paschatis, quod ut Grotius ex Matthæi XXVII, 15. Joh. IV, 45. ostendit, eminenter ἑορτὴ dicitur. Quod itaq; Casaubonus censet, ideò, quod sine articulo & simpliciter κατὰ ἑορτὴν dicat, ad alia nobiliora festa id referri posse, id minùs probandum videtur. Peculiaris enim ratio hîc est, quamobrem Paschatis festo reum dimiserint, nempe in memoriam liberationis majorum suorum è servitute Ægyptiaca. Qualis ratio cùm de reliquis festis afferri nequeat, minùs rectè *singulis festis*, locutio vertetur. Notanter diximus, sequioribus seculis morem hunc locum obtinuisse, quem Veterem non fuisse Grotius quoque affirmat. Lex Mosaica enim χωρὶς οἰκτιρμῶν reum morti addicebat, ut Eb. X, 28. legimus. Sed hæc obiter & ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 20. Sextò cum Judæis Christiani quoque nonnulli causantur, nunquam festo die Synedrium Christi judicio vacaturum fuisse, quod contra diei tàm sacri religionem, & adversus propria decreta fuerit. Resp. fatendum esse, R. Mosen Maimonidem, Hilkot Sanhedrin cap. XI, docere: אין דנין דיני נפשות לא ערב שבת ולא ערב יום טוב.

טוב שמא יתחייב ואי אפשר להורגו למחר: Quæ verba Isaacus Casaubonus, Exercitat. XVI. ad Baronii annales hunc in modum vertit: *Judices rerum capitalium non judicant in die parasceve Sabbati aut diei festi, quia non debet id fieri, & reus occidi postridie non potest.* Ubi obiter monendum est, verba שמא יתחייב minùs rectè verti, *quia non debet fieri*, cùm potiùs sensus sit, *si forsan reus convincatur.* Sed quod rem ipsam attinet, ipsa Evangelica historia satis comprobat, nihil minùs in capiendo & judicando Christo eis curæ fuisse, quàm ut ritè & decenter agerent, juxta legum tenorem, vel receptæ consuetudinis. Ut enim Massechet Sanhedrin, cap. 4. ajunt: דיני נפשות דנין ביום וגומרין ביום: *judicia capitalia transigunt interdiu, & finiunt interdiu.* Sed illi cum propter grave scandalum & festi religionem pleno die, quod decreverant, exequi commodè nequirent, ipsam noctem terunt in judicando capite Christi, quin profunda & concubia nocte illũ ad Annã & Caipham ducunt, inde orto sole ad Pilatum rapiunt, quem importunis suis flagitationibus tantisper urgent, & defatigant, donec illorum petito annuens Christum crucifigendum curet, ubi iterum monitum proprium insuper habuerunt: אשרי הדיין שמחמץ את דינו *beatus judex, qui judicium suum moratur, & pernoctare facit, ut ventilet veritatem.* Nam uti aliàs ipso Encœniorum festo Joh. X, 22. 31. & tabernaculorum festo Joh. IIX, 2, 37, 44, 45. Christum lapidibus obruere conati sunt, ita & hoc loco præ invidia & odio summo illum quantumvis nullius criminis reum occidendum curarunt.

§. 21. Tandem & hunc scrupulum movent quidam post Scaligerum, quod sic omnis Christianæ antiquitatis sententia subvertatur, quâ subinde creditum fuit Pentecosten anno passionis Christi in diem Dominicam incidisse. Vel igitur, inquiunt, Ecclesia aberravit, vel primus dies azymorum fuit Sabbatum non dies Veneris. Sed quàm hoc

infir-

infirmum sit argumentum, l. cit. Cl. Bochartus ostendit, ubi si Clementis constitutiones S. Augustini sermonem de tempore CLIV, ψευδεπίγραφα illa scripta, excipias ante Leonem primum seculo quinto plus dimidio ad Episcopatum Romanum evectum, quenquã fuisse negat, qui hoc asseruerit. Præterea ex Lege Mosaica Deut. XVI, 9. ratio quædam dubitandi promanat, quô die illo anno fuerit Pentecoste. Verba legislatoris sunt: *ex quo cœpit falx in segetem immitti, incipe numerare septem hebdomadas.* Ut verò ex Lev. XXIII, 15. patet, fieri id solebat ממחרת השבת. *Postridie* Sabbati sive festi azymorum. Jam verò si hoc in diem Veneris incidit, & ita sequenti die Sabbatum fuit, non postridie, sed perendie demum manipulus offerendus fuit, cùm die Sabbati falces in segetem immittere non licuerit. Et hac ratione Pentecoste in feriam primam rejicienda fuerit.

§. 22. Neque est, ut ad locum Act. II, 1. provocent, ubi dicitur ἐν τῷ συμπληροῦσθαι ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς. Cum enim tempus πεπληρῶσθαι dicatur in sacris, ubi præteritum dicendum est præterlapsum esse, & ubi præsens advenisse perhibetur, omninò inde patescit, ex verbo solo συμπληροῦσθαι haud ita indubitatò posse colligi, quô die Pentecoste fuerit, verbum enim Græcum ad imitationem vocis Ebraicæ מלא diversimodè potest accipi. Hinc quidam Interpretes de præterito accipiunt, nonnulli verò de præsenti. Illi nituntur exemplo LXX. Interpp. qui Ebraica verba Lev. XII, 6. ובמלאת ימי טהרה, quæ alii ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς καθάρσεως αὐτῆς reddidissent, transtulerunt ὅταν ἀναπληρωθῶσιν h. e. ut Hieronymus quoque vertit: *cum impleti fuerint.* Hi verò urgent ipsum tempus præsens, & eo nihil aliud quàm *eundem diem venisse & præsentem tunc fuisse* significari arbitrantur.

FINIS.